

nonis, si potest facere, debet imponi, xvi. *quest. 1. Sacerdotes pœnitentiam.* Sed ex causa poterit eam Presbyter moderari.

§. 52. Considerandum etiam erit utrum sit persona nova in fide: quia novis in fide minor debet etiam pœnitentia imponi, *extra, de panis. & remiss. Deus, qui.* Et similiter consideranda erunt alia personarum circumstantiæ: de quibus ad præsens superfedo gratiæ brevitatis.

§. 53. Sciendum autem quod in foro Pœnitentiali dicuntur legitime Ferie, secunda, quarta, & sexta, *dist. 81. Presbyter, de conscri. dist. 3. jejunia.* Aliqui tamen ut dicit Ro. pro secunda Feria ponunt Sabbatum.

§. 54. Insuper notandum est, quod si pœnitentia in pane & aqua imponatur non habenti panem; potest loco panis leguminibus & pisciculis vesci: & etiam aliis, si necessitas illud requirat, *extra, de panis. & remiss. licet, in tex. & Gloss.* alias non licet.

§. 55. Notandum etiam secundum Jo. si pœnitentia sit *Jejunia an* imposta à Canone; liberatur quis à jejuniis dando denarium, vel legendo Plalterium propria autoritate. Innoc. verò dicit, quod jejunia necessaria, ut quatuor temporum, & hujusmodi non possunt redimi nisi subit rationabilis causa: voluntaria verò redimi possunt etiam sine autoritate Superioris.

§. 56. Ad hoc etiam nota, quod ubi imponitur pœnitentia aliquot annorum sive Quadragesimarum, nec additur quomodo quis debet pœnitere; hoc relinquunt arbitrio Presbyteri, cum pœnitentiæ sint arbitrarie, ut dictum est supra: ipse enim Presbyter arbitratum eam per Feras legitimas faciendam, secundum Canones, *50. dist. de his Clericis. extra, de homic. cap. 2. & in multis aliis Juribus.* Et sic intelligitur illud, *extra, de accus. accusasti, & de spons. dilectus, & similia.*

Expliciunt Canones Pœnitentiales.

CANONES SANCTORUM APOSTOLORUM, PER CLEMENTEM A PETRO APOSTOLO ROMÆ ORDINATUM Episcopum, in unum congesti.

EPISCOPUS à duobus aut tribus Episcopis ordinator.
II. Presbyter ab uno Episcopo ordinator: item Diaconus, & reliqui Clerici.

III. Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de sacrificio instituit, alia quæpiam, putâ aut mel, aut lac, aut pro vino ficeram, aut confecta quædam, aut aves, aut aliqua animalia, aut legumina supra altare obtulerit; ut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitur: excepto novo frumento, & uvâ opportuno tempore. Præterea licitum non est aliud quidpiam admodum ad altare, quam oleum in candelabrum, & incensum oblationis tempore.

IV. Omnium aliorum pomorum primitiæ Episcopo & Presbyteris domum mittuntur, non super altare. Manifestum est autem, quod Episcopus & Presbyteri inter Diaconos & reliquos Clericos eas dividunt.

V. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uxorem suam prætextu Religionis non abjicit: si abjicit, segregatur à communione: si perseverat, deponitur.

VI. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus seculares curas non suscipito: alioquin deponitur.

VII. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum diem Paschæ ante vernali æquinoctium cum Judæis celebraverit; deponitur.

VIII. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quicumque ex Sacerdotali consortio, oblatione facta, non communicaverit; causam dicto. Et si bona ratione subnixus sit, veniam promeretur. Sin minus dixerit; à communione excluditur, tanquam qui populo auctor offensiois fuerit mota contra eum suspicione, qui obtulit.

IX. Quicumque fideles Ecclesiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, neque apud preces & sanctam communionem permanent; eos tanquam qui ordinis in Ecclesia perturbationem inducant, à communione arceri oportet.

X. Si quis cum Excommunicato, licet in domo, preces conjunxerit; iste communione privatur.

XI. Si quis cum deposito Clerico, ut cum Clerico preces conjunxerit; deponitur & ipse.

XII. Si quis Clericus, aut Laicus à communione segregatus, seu nondum in communionem receptus, ad aliam profectus civitatem, sine commendatitiis Literis receptus fuerit; à communione excluditur tam qui recipit, quam qui receptus est. Si excommunicatus fuerit; in longius illi tempus excommunicatio protenditur.

XIII. Episcopo, qui parochiam suam dereliquerit, alteri infilire nefas est, licet à pluribus ad hoc compellatur: nisi rationabilis aliqua causa subit, quæ hoc ipsum facere vi adigat, nempe quod plus lucri & utilitatis his, qui illic constituti sint, verbo pietatis conferre possit: neque hoc tamen à seipso, sed multorum Episcoporum iudicio, & exhortatione maxima.

XIV. Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quicumque tandem de Clericorum consortio, relicta parochia sua, in aliam concefferit, & omnino transmigratione facta, præter voluntatem sui Episcopi in alia parochia moram traxerit; hunc jubemus, ne porro in ministerio publico sit Ecclesia, maxime si accerente ipsum Episcopo ejus redire contemnat, perverlo illic ordine perseverans: ut Laicus tamen ibi locum in communionem admittitur.

XV. Quod si Episcopus, ad quem accesserint, pro nihilo reputata vacationis à ministerio Ecclesiastico penâ, quæ contra eos definita est, ipsos ut Clericos susceperit; à communione excluditur, ut perverli ordinis Magister.

XVI. Qui post Baptismum duabus implicitus fuit nuptiis, aut concubinam habuit; is Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut denique in consortio Sacerdotali esse non potest.

XVII. Qui viduam duxit, aut divortio separatam à viro, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam quæ publicis mancipata sit spectaculis; Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut denique ex consortio Sacerdotali esse non potest.

XVIII. Qui duas sorores duxit, aut consobrinam; Clericus esse non potest.

XIX. Clericus, qui fideiussiones dat; deponitur.

XX. Si quis humana violentiâ eunuchus factus est, aut in persecutione amputata ei sunt virilia, aut ita natus fuit, & dignus est; efficitur Episcopus.

XXI. Qui sibi ipsi virilia amputavit; Clericus non efficitur: sui enim ipsius homicida est, & inimicus creationi Dei.

XXII. Si quis, cum Clericus esset, virilia sibi ipsi amputaverit; deponitur: homicida etenim suipius est.

XXIII. Laicus, qui seipsum mutilavit; per tres annos à communione ejicitur: putâ quia ipse vite sue posuit infidias.

XXIV. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus in fornicatione, aut perjurio, aut furto deprehensus, deponitur: non tamen à communione excluditur. Dicit enim Scriptura: bis de eodem delicto vindictam non exiges. Eidem conditioni consimiliter & reliqui Clerici subduntur.

XXV. Ex his, qui cælibes in Clerum pervenerunt, jubemus; ut Lectores tantum & Cantores (si velint) nuptias contrahant.

XXVI. Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, qui vel Fideles delinquentes, vel Infideles injurias inferentes percutit, & terrorem ipsis per hujusmodi vult incutere; deponi præcipimus. Nusquam enim Dominus hos nos docuit. Immo verò contra, cum ipse percuteretur, non reperiatur: cum lacefferetur convitiis, non regerebat convitium: cum pateretur, non comminabatur.

XXVII. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ob certa crimina justè depositus, attingere ministerium, quod aliquando tractaverat, præsumpserit; omnino hic ab Ecclesia abscinditur.

XXVIII. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus pecuniæ interventu hanc dignitatem nactus fuerit; deponitur tam ipse, quam qui eum ordinavit, & omnino à communione abscinditur, quemadmodum Simon magus à me Petro.

XXIX. Si quis Episcopus secularium Magistratum familiaritate usus, per ipsos Ecclesiam nactus fuerit; deponitur: segregatur quoque à communione, quicumque cum ipso communionem habent.

XXX. Si quis Presbyter, proprium aspernatus Episcopum, seorsum conventicula egerit, & altare crexerit, cum de nullo crimine Episcopum in pietate ac justitia condemnari; deponitur, quasi qui principatum ambiat: tyrannus enim est. Consimiliter & reliqui Clerici, qui suum illi calculum apponunt. Laici verò à communione segregantur. Atque hæc post unam, & item alteram, ac tertiam Episcopi exhortationem fiunt.

XXXI. Si quis Presbyter, aut Diaconus per Episcopum à communione exclusus sit; hunc nequam ab alio fas est suscipi, quam ab eo, qui ipsum à communione exclusit: nisi forte fortunâ Episcopus, qui ipsum à communione segregavit, defunctus sit.

XXXII. Nemo peregrinorum Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum sine Commendatitiis suscipitor Literis: & si eas obtulerit, attentius in disquisitionem vocantur. Et quidem si Prædicatores pietatis fuerint; suscipiuntur: sin minus, ubi necessaria ipsis suppediterint; ad communionem & ulteriorem ipsos consuetudinem non admittuntur: multa enim per obreptionem fiunt.

XXXIII. Cujusque Gentis Episcopos oportet scire, quinam inter ipsos primus sit, habereque ipsum quodammodo pro capite, neque sine illius voluntate quidquam agere insolitum: illa autem sola quemque pro se tractare, que ad parochiam ejus, & loca ipsi subdita attinent. Sed neque ille citra omnium voluntatem aliquid facit. Ita enim concordia erit, & Deus glorificabitur per Dominum in Sancto Spiritu.

XXXIV. Episcopus extra terminos suos in civitatibus & regionibus sibi non subjectis ordinationes facere non præsumit. Si verò præter voluntatem eorum, qui civitates illas aut regiones detinent, id fecisse convictus fuerit; deponitur tam ipse, quam etiam hi quos ordinavit.

XXXV. Si quis ordinatus Episcopus ministerium & curam populi sibi commissam non susceperit; hic à communione sejunctus esto tandiu, donec susceperit; obedientiam accommodans. Similiter autem & Presbyter & Diaconus. Si verò non præ voluntate sua, sed præ malicia populi non susceperit; maneto ipse quidem Episcopus: Clerus verò ejus civitatis à communione segregatur, eo quod tam inobedientem populum non corripuerint.

XXXVI. Bis in anno Episcoporum celebratur Synodus: ac pietatis inter se dogmata in disquisitionem vocantur, neque non in Ecclesiis incidentes contradictiones dirimunt: semel quidem quartâ Feriâ Pentecostes, secundò duodecimâ Hyperberetis.

XXXVII. Omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerit, & eas dispensat, quasi inspectante Deo. Non licitum autem est quidpiam ex his sibi tanquam proprium assumere: aut cognatis suis elargiri, quæ Deo dedicata sunt. Quod si pauperes illi sint, ut pauperibus subministrato: non tamen horum prætextu res Ecclesiæ venundat.

XXXVIII. Presbyteri, & Diaconi absque voluntate Episcopi nihil peragunt: ipsi enim fidei populus Domini commissus est, & pro eorum animabus ab ipso reperetur ratio.

XXXIX. Manifestæ sunt private res Episcopi: si modo & privatas habet; manifestæ item sunt dominicæ, ut privatas quidem res Episcopus, cum moritur, quibus vult, relinquendi facultatem habeat: neque occasione Ecclesiasticarum rerum interdicant res Episcopi, qui nonnumquam uxorem & liberos, aut cognatos, aut servos habet. Iustum enim est apud Deum pariter, & homines, simul ne Ecclesia per ignorationem rerum Episcopi damni aliquid sustineat, simul ne Episcopus aut cognati ejus prætextu Ecclesiæ oblectantur, aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia, eisque mors implicetur diffamationibus.

XL. Præcipimus, ut Episcopus res Ecclesiæ in potestate habeat. Nam si pretiosæ hominum anime fidei ejus committendæ sunt; multò utique magis oportuerit & de pecuniis

^a al. Hebdomade.
^b Hyperberetis apud Græcos populos est Macedoniae Octobris Græcis dicitur.